IOANNIS VAHLENI

ANALECTORUM NONIANORUM

LIBRI DUO

AD

FRIDERICUM THEOPHILUM WELCKERUM.

D. XVI. M. OCT. A. MDCCCLIX.

LIPSIAE FORMIS B. G. TEUBNERI.

1859

IOANNES VAHLENUS

S. P. D.

FRIDERICO THEOPHILO WELCKERO.

Nuntio huc relato eum diem instare quo ante hos L annos professionem antiquarum litterarum adiisti quantopere me putas, Welckere, animo esse commotum. Etenim mente illud temporis spatium permetiens reminiscebar hoc ipso semisaeculo initia incrementa florem laetissimum philologiae Germanicae contineri. Quae quidem quod hodie in eo fastigio collocata suspicitur eius rei narremne ego quanta Tua pars sit, vir venerabilis, quem quasi mystagogum aliquem fuisse ad occlusa ante poësis artis religionis Graecorum arcana omnes qui his artibus cupimus non magis grati quam gloriabundi praedicamus. At cum tot Tui ingenii monumenta famam Tuam non per patriam solum

sed longe ultra Germaniae terminos tulerint innumerosque ad gustandam Tuam doctrinam vocaverint, me laetor in eorum numero esse quibus coram licuit rarae eruditionis dotibus quas in scholis impertiebas discipulis perfrui ac praesentes Tuam illam persentiscere humanitatem qua regere tironum imperitiam et ad sanam artem deducere omniumque qui Tibi operam navabant studia adiuvare solebas. Harum ego rerum cum iucundissimam memoriam recolerem non par esse arbitrabar in hac Tua laetissima sollemnitate et in tanta congratulantium frequentia me Tibi deesse, sed una cum sincerissimis votis quae hodie me de Tua salute concipere pietas iubet munusculum ad Te mittere constitui ex his ipsis litteris petitum, quod etsi pertenue esse et parum dignum Tuo nomine ipse praesertim sentio tamen a Tua me benevolentia impetraturum confido ut meae exiguitatem opellae propensae voluntatis studium aliquantulum compensare videatur. Vale.

Dabam Vindobonae die XVI m. octobris a. MDCCCLIX.

ANALECTA NONIANA.

LIBER PRIMUS.

I.

Pervulgatum est Nonii grammatici librum omni genere corruptelae mirum quantum inquinatum esse, ita quidem ut cum a bonis libris parum salutis repetendum videretur fere critici ita existimarent sordium illarum vim non posse nisi audacia quadam coniectandi ac violentia domari. Attamen cum in deperditorum scriptorum reliquiis quae Nonii bonam partem conficiunt quo cautius adhibita eo efficacior esse critica soleat, tum ita comparata est Nonii memoria ut accuratissime librorum vestigia prementi liceat lenissimis saepe remediis etiam quae depravatissima videantur ad integritatem revocare. Itaque antiquitus cum multa feliciter emendarent, in longe pluribus iuvenilis audacia nec satis perspecta Nonii condicio effecit quo minus veritatem assequerentur, nec nostra aetate defuerunt qui quem parum cognitum haberent grammaticum coniecturis temptare non dubitarent: et tamen unus prae ceteris Carolus Lachmannus positis insignibus emendationis Nonianae exemplis praeclare rationem edocuerat qua in hoc grammatico criticam artem exerceri oporteret. Cuius rationis laetabor si quid inesse iudicabunt in his quae infra scripsi emendati Nonii speciminibus; quae cum e Lucilii Varronisque saturarum reliquiis petita essent omnia, malui tamen separatim genera depravationis persequi.

Frequens apud Nonium errorum genus hoc est ut litteris vel syllabis male diiunctis aut perperam coniunctis manus

scriptoris obscuraretur. P. 213, 23 scribit Nonius *margaritum generis neutri. Varro* Ἑκατόμβῃ περὶ θυσιῶν: *ubi illa falera gemmeaque efippia, Et arma margariti* κανδικαντια? *Feminini Varro* e. q. s. Priorem versum leni manu Meinekius restituit reposito *gemmea atque*: in altero cum *margariti* nihil esse videretur inde a Iunio et Mercero *margarito* vulgabatur, quod convenit quidem Nonio *margaritum* neutro genere dixisse Varronem praecipienti, sed a re et sententia abhorret qua *margaritis* potius plurali numero reponi exposcitur. Sed ea recepta emendatione quam Burmannum fecisse Basilienses narrant ilico apparet hoc quidem exemplo Nonium quo *margaritum* neutro genere probaret uti non potuisse: nec tamen audiendus si quis corrupto exemplari deceptum esse grammaticum instet: immo nulla mutata littera sed coniunctis quae male diiunctae erant unius vocabuli partibus prodit id quod Varronem scripsisse certum est *margariticandicantia.* Quae quidem forma ut potuit facillime fraudi sane fuit Nonio, licet Varronem *margaritum* neutro quoque dixisse Charisii I p. 84 P. testimonio constet: cf. Unger de Valgii Rufi poëmatis p. 216 sqq. Vocabuli illius quod restitui exemplum non extat, sed in promptu est analogia eodem modo compositorum quorum apud vetustissimos scriptores valde frequens fuisse usus videtur: qualia sunt ut paucissimis defungar *ferricrepinus* et similia Plauti, *crispisulcans* Pacuvii, *signitenentibus bigis* Ennii: atque huic consimile est quod Varro ipse scripsit in eis versibus quos Probus ad Vergilii eclogam 6, 31 p. 18 Keilii adnotavit *signis stellumicantibus*, in quo ne *u* quidem debuit vulgatiori *i* vocali cedere, quando illam antiquitus universo huic compositorum generi communem fuisse probabile est, eandemque in hac eiusdem Varronis voce *multunummus* lectam fuisse Nonii (p. 216, 9) memoria *multumnummus* indicio est.

Ad lemma *capere delectare* Nonius p. 253,15 cum alia tum hoc Lucilii exemplum adscripsit *Lucilius lib. XXVI: nunc itidem populo istum scriptoribus voluimus capere animum illorum:* in quibus nec sensum esse nec structuram apertum est: neutri medetur id quod propter *istum* vocis viciniam in Aldina et aliis editionibus correctum est *populum*:

Gerlachii autem opinationem quam in suo exemplo exprimendam curavit

> *Nunc itidem populo iustum et scriptoribus,*
> *Volumus capere animum illorum.*

quamque in additamentis in hunc modum complevit

> *Nunc itidem populo iustum et scriptoribus aequum;*
> *Voluimus capere animos illorum*

nimis aliorum iudicio diffisus viderer si accuratius excuterem, cum praesertim criticus ipse haec ne sibi quidem omnino satis facere significarit. Nec Düntzeri coniecturam quam cum Gerlachio communicavit *popularibus scriptoribus* cuiquam probari putaverim. Praeterea autem quis in eo fragmento elaborarit nescio nisi quod Dübnerus (*Revue de philologie* II p. 213) cum verba intacta reliquerit in valde bono codice Tornesii pro *itidem* legi *istidem* adnotavit, cuius tamen scripturae ad emaculanda poëtae verba usum non esse arbitror. Videant enim periti ecquid probabiliter suspicatus sim Nonium Lucilii versus hac forma tradidisse

> . . . . . *nunc itidem pópulo is cum scriptóribus*
> *Vóluimus capere ánimum illorum.*

In quibus *populo* dativus suspensus est a verbo vel participio quod Nonius omisit. Sententiae enim comprehensionem sic fere expleveris *gratificaturi nunc itidem populo eis cum scriptoribus voluimus capere animum illorum. Illorum* enim ad *populo* refertur cuius structurae geminum exemplum Varronianum tetigi in coniectaneis p. 16.

P. 407, 2 haec scripsit Nonius: *Tollere est elevare. Virg. Aen. lib. I et lib. XII: et mulcere dedit fluctus et tollere vento. Tollit se adrectum quadrupes. M. Tullius Filippicarum lib. XI: vel in caelum vos, si fieri potuerit, umeris nostris tollemus. Lucilius lib. XXVIII: tanti se temporis montes et faetera tollent.* Ad emendandum hoc insigniter depravatum fragmentum e codicibus nihil videtur opis accedere: ab illa Basiliensium scriptura fere non distat quod e suis libris Mercerus fideliter rettulit *tantis etemporis montes et fetera tollent:* ut nemo

facile Paulo Merulae confidat qui in Ennii editione p. 459 se in codice legisse contendit *tutius et tenerent mortes*, cui fallaci fundamento suam superstrueret coniecturam *tutius intentent mortes et foedera tollant.* Cum fide factae quamquam nihilo probabiliores sunt ceterae quas vidi criticorum correctiones: ne Iosepho quidem Scaligero prospere emendandi opera cessit cuius coniecturam *tanti tempori' se montes et foedera tollent* Franciscus Dousa recepit: ne quid dicam aut de Iani Dousae correctione *tanti Se tempestatis montes ad sidera tollunt*, aut de Palmerii scriptura *tantis imperiis* (vel *emporiis*) *mentes ad soedera* (i. e. *sydera*) *tollent*, quam cum unam rectam putaret Gerlachius non dubitavit tamen suo periculo corrumpere. A Palmerii denique coniectura profectus non multo illa verisimilius Düntzerus apud Gerlachium reponi suasit *tantis exémplis mentes ad sidera tollent.* Itaque denuo ordiendum est a librorum memoria quam longe istis omnibus lenius mihi visus sum hoc modo integritati vindicasse:

Tanti se terris montes eis aetera tollent.

De graecis vocibus quas presse secutus traditam scripturam refinxi in hoc poëta non est quod verbo moneatur. Ceterum hunc versum hexametrum non posse in eo unde Nonius citavit libro XXVIII locum habuisse Lachmannus in prooemio indicis scholarum Berolinensium aestivarum anni LI p. 5 observavit pluribus ibidem hoc genus errorum Nonii persecutus.

Ad similem emendandi rationem revoco Lucilii versum quem Nonius p. 382, 21 scripsit: *Rumpere defetigare . . . . Lucilius lib. XXX: quae quondam populi oris aures pectora rumpit.* In quibus unum recte puto Ianus Dousa correxit *rupit*, cum altera eiusdem coniectura *popularibus* non possit probari. Nec a ceteris qui hoc fragmentum tetigerunt prolatam emendationem vidi in qua facile acquiescas. Quis enim Lucilii manum agnoverit vel in eo quod margini sui exempli Iunius adscripsit *populi foris* vel in Gulielmi opinatione *populi oreas?* Quibus paulo sane probabilior est Dionysii Gothofredi suspicio *populi ora aures et* quam paululum

ita inflexam *populi ora atque aures p.* Gerlachius, immutatam recepit Corpetus: denique ne quid desideretur Düntzeri a Gerlachio relatum inventum *populi his aures et* ipsiusque Gerlachii alteram coniecturam *populi foro* verbo commemorasse sufficiet. Nempe reponendum erat:

Quae quondam populo res auris pectora rupit.

Haec enim *populo res* cum semel in hanc formam abiissent *popul ores* reliqua ultro sequebantur: gratum autem asyndeton quod est *auris pectora* non debuit abstergeri, cui similia multa, velut hoc est de Manio Varronis apud Nonium p. 545, 12 *cellae claves claustra* quod Oehlerus corrupit e I. M. Gesneri coniectura *sellae*, *claves*, *claustra* reponens et e Lucilii reliquiis *pallor tineae* in versu quem mox plenum afferam et

Támen aut verruca aút cicatrix, naévus papulae differunt,

quae cum Mercerus ad Nonium p. 284, 31 recte scripsisset – in libris enim *aliti verruca* et *medius papule* – Gerlachius tam sententiam quam numeros pessum dedit. Nec minus Düntzerus huius sanissimi versus quo maritus uxorem appellat (Non. 306, 20; 327, 15):

Omnes formosi fortes tibi: ego improbus. Esto.

cum asyndeto sententiam depravavit scribendo *fortesque: ergo improbus es tu.*

Duobus etiam Lucilii versibus defungar simili vitio affectis. Quorum alterum Nonius p. 320, 27 in hunc modum tradidit: *Honor, sepultura Virg. . . Lucilius lib. XXVII: nullo honore displetu, nullo funere.* Quam qui sanam scripturam habuerit unum Gerlachium novi, reliqui coniectando in diversas partes discesserunt: sic *defletus* Iunius, *diffletus* Fruterius, *dispretus* vel *despretus* Paulus. Veri quid attigit Düntzerus in *pletu* delitescere *fletu.* Nec rara alibi earundem litterarum commutatio velut in Lucilii versu quem Nonius p. 272, 14 tradit *lanae opus omne perit, fallor tiniae omnia caedunt* idem rectius p. 462, 25 *pallor tiniae*: et *Zeferiatin* p. 455, 16 unde *Zopyriatim* Vargesius elicuit in quaestionibus Lucilianis (mus. Rhen. a. 1835 III p. 58). Alia exempla ex eiusdem Lucilii reliquiis Dübnerus attulit (*Revue de philologie II p. 218 sq.*).

E Varronianis saturis huc pertinet quod Non. p. 229, 23 *nepre-nel* sive *nepraenet* legitur pro *refrenet.* *Fletu* igitur cum probabiliter Düntzerus restituisset, parum tamen idem librorum memoriae pepercit cum totum versum ita refingi suaderet

Nullo honore, nullo fletu, nullo funere.

Immo *nullo* quo carere non possumus pone *fletu* haud dubie intercidit vitio frequentissimo quo quod bis efferendum fuit librarii semel scribebant: *dis* autem syllabam quae non recte cum *pletu* coaluit residuam esse de verbo arbitror quod *condis* (*c̄dis*) sive *reddis* esse potuit eo usu quo utrumque de humando corpore usurpatur: unde haec prodit totius versus conformatio

Núllo honore cóndis, fletu núllo, nullo fúnere.

Septenarium trochaicum restitui, cui rei favet quod in Basiliensium quidem editione e XXVII citatur fragmentum: nam XXVIII librum cui ob Merceri testimonium vulgo adscribitur Lachmannus senariis compositum fuisse monuit in prooemio indicis scholarum Berolinensium aestivarum anni XLIX p. 3.

Quintum denique quod mihi de compari mendo suspectum est Lucilii fragmentum vulgo in eodem libro XXVIII habetur unde tamen cum hexametri numeros prae se ferat sumptum esse non potuit. Scribit autem Nonius p. 332, 31: *Legere surripere significat . . . . Lucilius lib. XXVIII: o m n i a v i s c a t i s m a n i b u s l e g e t:* et plenius idem p. 396, 5: *Sumere est accipere, tollere . . . Lucilius lib. XXVIII: o m n i a v i s c a t i s m a n i b u s l e g e t, o m n i a, C r e d e m i h i, p r e s s e a u f e r e t o m n i s:* ubi ipso Nonio ducente pridem editores *omnia sumet.* Sed labes quae alterum occupavit versiculum nondum videtur probabiliter sublata. Licentius enim Ianus Dousa *prae sese aget ac feret omnia*, modestius quidem nec tamen melius Ausonius Popma *presse res auferet omnis*, quod Gerlachius expressit. Nam *presse* in quo praeter Dousam nemo haesit non est qui commode defendatur: ut ne Merulae quidem hanc scripturam *presse auferet omnia* probare Corpetus debuerit. Immo *res* quam vocem desiderari *omnis* indicio est delitescere in *presse* suspicor quod fuit olim *res se.* Nempe lacuna

huius quoque versus partem absorpsit quam quo sententia significetur sic fere possis reparare

Crede mihi res se [cum avidissimus] auferet omnis.

Illud addam quemadmodum pro *res* scriptum fuit *pres* ita saepius apud Nonium pro *r* initiali *pr* exaratum legi velut in Lucilii versibus p. 383, 14 *consilium patriae legumque oriundus rogator* Leidensis et Wolfenbuttelanus *progator* et p. 138, 19 *et si maxime quod spero [pro] mutuum hoc mecum facis* Wolfenbuttelanus et in Varronis saturis *pruditatem* pro *ruditatem* apud Nonium p. 487, 26 ubi tamen Ribbeckius *propudium* latere suspicatus est; *prithymon* vel *prythinon* pro *rhythmon* p. 229, 23 eodemque refero quod p. 220, 11 legitur *Varro Adnoprandis* vel *noprandis* pro *Admirandis*. Contrario errore *ruina* scriptum pro *pruina* in Varronis fragmento quod statim attingam.

Bis in Lucilii reliquiis cum quae male coaluissent syllabas diiungeremus simul obtectae antea lacunae apparebant: eadem geminatione vitii Varronis fragmentum laborat e satura *Ἔχω σὲ περὶ τύχης* quod Nonius sub lemmate *algu pro algore* ita scriptum rettulit p. 72, 10 *leges*, *ruina ne iacentem subdeabbet algu danti frigore.* In quibus *teges* probiter Ausonius Popma cui correctioni non puto Prelleri *tege sis* praestare, ad eundemque Popmam redit certissima coniectura *pruina* quam denuo Rothius fecit. Verum illud quod est *subdeabbet* efficacem medelam adhuc desiderat, pro quo *subdealbet* inde ex Aldina in editionibus vulgabatur, Popma *sub Deo albet*, Prellerus *sub dio albet* restitui volebant. Scaliger ingenio indulsit cum haec tamquam a Varrone profecta commendaret *sub dio Ambesset algus dentientem frigore*, qui tamen illud sensit verissime haec metro concepta verba fuisse, licet in eo erraverit quod *dio* posse ïambi mensuram habere putavit. Cf. Lachmannus in Lucr. p. 227. Immo e *subdeabbet* vocabulo recte litteris diiunctis primum *dealbet* nanciscimur, pone *sub* autem cum aliquid intercidisse appareat tam linguae usum quam metri necessitatem secutus *Iove* restituo

Tegés pruina né iacentem súb Iove
Deálbet algu . . danti frigore.

Nam in altero quoque versu aliquid interiisse suspicor, nisi quis malet cum Mercero *algudanti.*

Addam e Varronis saturarum reliquiis alia nonnulla diiungendi syllabas ope corrigenda exempla. Endymionum fragmentum Nonius p. 47, 7 ita perscribit: *Exporrectum*, *extentum*: *porrectum est enim tentum id est porro iactum. V. E.: quae res in somnium reccideris* ΕΤΔΔΟΥΡΕΠΟΤΕ *eris iterum exporrectus.* De *exporrectus* vocabulo quod Nonius mirabiliter explicuit non fuit quod dubitaretur, quamquam Varro ipse in eadem satura (Non. 232, 2) *experrecti* scribit et de lingua latina VII 3 M. *non modo Epimenides meus post annos L experrectus.* Ceterum vide breviatorem Festi p. 79 et 80 M. In reliquis *quare si* Iunius, *somnum* Popma olim restituerunt. Nondum autem a quoquam sanata est vox graeca in qua nonnulli Orci significationem delitescere sibi persuaserunt. Itaque Mercerus ἐν ᾅδου . . . . *eris*, Turnebus ἐν ᾅδου πήποτε, denique Oehlerus ἐν Ἅιδου οὐπήποτε, quos ego cum sententiae probabilitatem desiderem fallaci specie decipi arbitror. Probabilius quod in Aldina expressum est *et* οὐδέποτε: paulo propius a librorum memoria Iunius *et* ἀλλ' οὐδέποτε suspicatus ἀλλ' particulam perperam invexit. Immo sic demum Varronis sententia recuperatur *quare si in somnum reccideris* ΕΤ ΑΔΕΟ ΟΥΔΕΠΟΤΕ *eris iterum exporrectus.* Nempe fraudi fuit librariis quod quae mere latina essent graecis litteris exararent, quemadmodum fere graecas voces latine scripserunt. Velut in eo fragmento Varronis quod supra tetigi *margariti* κανδικαντια, nec alia ratione περιεχονταριαν ortum esse in coniectaneis p. 160 probavi. Ceterum Nonius, id quod temporum congruentia ostendere potuit, non plenam sententiam sed protasin tantum sententiae duabus illam quidem partibus comprehensam apposuit non infrequenti citandi more qui tamen criticorum curae nonnumquam offecit. Sic quae apud Nonium p. 27, 15 fragmenta Varronis duo leguntur Σωκράτης *cum in vinculis publicis esset et iam bibisset* κώνιον *in exodio vitae*, et *vitae cursum ut cognoscere possem et quae servitutis et. libertatis ab origine ad exodium adductae*, eorum cum neutrum plenam sententiam offerat alterum adeo coniecturis corruperunt. Quis enim Oehlero con-

fidat *aeque* reponenti pro *et quae* cum praesertim ipse ea emendatione parum expediri sententiam fateatur, aut Prellero assentiatur *atque servitutis* coniicienti? Nimirum, quod Gerlachius intellexit, Nonii culpa desideratur unde tam *quae* quam genetivi *servitutis et libertatis* suspensi fuerint. Velut hoc modo explere sententiam possis *vitae cursum ut cognoscere possem et quae servitutis et libertatis ab origine ad exodium adductae vicissitudines essent.* Atque ex eisdem Endymionibus quod Nonius p. 349, 5 perhibuit fragmentum *qui si ut vigilare matura coepisti in eo [te] retinueris* mancum est cum *quodsi* initio reponi debeat.

Sed redeo illuc. Similem enim superioribus corruptelam esse coniicio in his quae apud Nonium leguntur p. 59, 21 *Inpancrare est invadere; verbum a Graeco tractum, quasi pan creas consumere. Varro ecclesiam in regiam arcam inpancrarunt.* Inde quem saturae indicem *Ecclesia* Oehlerus auctore Scaligero recepit valde incertum esse iure Martinus Hertzius iudicavit, qui tamen cum *ecclesiam* ad ipsa fragmenti verba referri mallet sententiam non aperuit. Videtur autem mihi, quo omne inscriptionis vestigium aufertur, Nonius haec exarasse *Varro: ercles iam in regiam* e. q. s. Sic *Hercles* est in Wolfenbuttelano Nonii p. 533, 7, *Ercules* in libris p. 242, 15. Porro ut ibi in *c* abiit *r* littera ita apud Nonium p. 543, 19 *aphocas* scribitur quod debuit esse *aphoras* in Endymionum fragmento *Divitum amphoras Chias ad communem revocat matellam* in quo Oehlerus exscribendi neglegentiam qua H. A. Kochium in exercitationibus criticis p. 19 decepit incredibili explicandi perversitate compensavit. Illud autem fragmentum etsi iam absit indicium saturae tamen ad saturas pertinere fidem facit cum sententiae color tum *regia arca* quam Numae arcam esse suspicor de qua videri in Manio dici in coniectaneis p. 110 scripsi: ut frustra sint qui vel *aream* vel *arctam* vel *arcem* olim restitui iusserunt. *Impancrarunt* quod Nonius a graecis πᾶν κρέας deducit dignum hoc grammatico inventum. Döderleinius de intensivo ab *impingendi* verbo hariolatur. Mihi probabilius Oehlerus παγκρατίον admonere videtur, unde tamen non *impancrandi* sed *impancratiandi* verbum oritur: id quod ego a Varrone qui multus est et ingeniosus in fingendis

vocabulis haud ita alienum putaverim, quamquam dubium mihi *impancratiant* an *impancratiarunt* rectius reponatur.

Andabatarum versibus duobus usus est Nonius p. 486, 6: *parti et partuis pro partus . . . V. A.: candidum lacte papilla cum fluit, signum putant Partuis quod hic sequatur mulierem e partu liquor.* Quorum partem idem p. 483, 6 adscripsit: *Lacte nominativo casu ab eo, quod est lac . . . . Varro Andabatis: candidum lacte papilla cum fluit.* In quibus quod utrobique traditur metri vitium cum Laurenbergius transpositis *papilla lacte* sanarit, multo probabilius Oehlerus *lacte e papilla* scripsit. Attamen si quis praeter *lacte* et extitisse et usurpatam a Varrone esse *lact* formam ostenderit, improbabitur qui illi quoque versui diiunctis litteris *lact e papilla* restitui suaserit? Nam in eo nemo puto haerebit quod Nonius in lemmate *lacte* non *lact* posuerit, cuius rei vim si qua est eo putaveris elevari quod utrumque Nonii testimonium in his *lacte papilla* consentiat. Formam autem quae est *lact* Varroni probatam fuisse et in Florentino librorum de lingua latina v. 104 M. p. 106 Sp. servatam esse Leonardus Spengelius exposuit philologi XI p. 406: cf. eiusdem commentatio de emendanda ratione librorum M. Terentii Varronis de lingua latina p. 7. Sed Probi verba instit. gramm. p. 105 Lind. *C littera unum nomen reperitur terminatum generis neutri . . . lac lactis. Quidam hoc lact debere dici sed non legi nisi in Varrone de lingua latina*, haec igitur respicienti facile irritus videatur qui eandem formam etiam aliis operibus Varronis maxime saturis reddi voluerit. Nam Ritschelium nunc apparet erravisse, qui *lact* formam non usurpasse Varronem sed tamquam pro themate *lactis* genetivi posuisse scribit in mus. Rhen. VII p. 607. Immo haec Varronis l. l. *vernacula lactuca a lacte quod olus id habet lact* (sic enim Flor.) cum considero et Charisii, Diomedis, Pompeii, ceterorum grammaticorum testimonia respicio, fere non dubium mihi videtur, quin Varro certam in ea re rationem et constantiam secutus sit: quemadmodum Plautum ubique *lacte* scripsisse eidem grammatici testantur: Varroni autem probata forma quod praeterea usu recepta non sit Caesaris auctoritate

factum videtur qui 'contra illum dixit rem valentissimam nullum nomen duabus mutis terminari.'

Porro in Modii fragmento quod apud Nonium p. 93, 20 exhibetur *putat fore hoc quod his comedonibus convenit usu quibus nota voluptate comedunt dumtaxat gula gaudet* cum pro *comedunt* inde a Merceri editione *cum* (sive *quum*) *edunt* vulgarent, poterant profecto lenius mera diiunctione *com edunt* reponere, quemadmodum in Lucilii versu apud Nonium p. 370, 19 *quanti vos faciant socii, com parcere possint* Lachmanno auctore in Lucretio p. 71 cum in libris sit *comparcere*; nisi quis illic in ipsa *comedonum* commemoratione malit servato *comedendi* verbo *cum comedunt* restitui. Ceterum iure Laurenbergius secundum linguae usum scripsit *venit usu*, pro *nota* autem quod Oehlerus Victorium secutus *mota* recepit, id quidem mihi non referre manum Varronis videtur: putabam *tota voluptate.*

Contra quod Oehlerus in hoc fragmento apud Nonium p. 83, 23 *cucupas vinarias sirpare noli: adde quiatum vini in uxorculae inopocillum* scripsit seorsum a ceteris editionibus *tu cupas* non recte factum arbitror. Qui enim consideraverit quoties Nonii librarii in eam partem erraverint ut quae semel scribendae essent litteras bis ponerent velut p. 205, 30 in Lucilii versu quem Lachmannus correxit in Lucretio p. 413 *serena caeli momina et salis fretus* Leidensis *caecaeli*, *caecili* Wolfenbuttelanus; p. 258, 10 *Caececilius in Asoto* Wolfenbuttelanus; p. 551, 9 *murmurena* et iterum *murmurina* pro *murrina* libri; p. 238, 12 *praeterea ut nostris* (libri *nostros*) *animos attendere [dere] dictis* libri; p. 463, 9 *eadem una maneant in sententlentia* Wolfenbuttelanus; p. 519, 10 *Non paucis malle ac sasipientibus esse probatum,* ubi nihil aliud quam *ac sapientibus* corrigendum fuit; p. 388, 16 *quodque te in [te in] tranquillum ex saevis transfert tempestatibus*, quem versum Gerlachius Iano Dousa auctore corrupit: haec igitur qui consideraverit is non dubitabit quin eodem errore *cupas* in *cucupas* depravatum sit. Nec mihi magis probatur novum quod Oehlero debetur compositum *vinopocillum* id quod secundum linguae normam *vinipocillum* esse debuit: poterat *uxorculae oenopocillum* nisi praestabit in simplici *pocillum* acquiescere. Verbo dicam de scriptura *quiathum* quod esse *cyathum*

vel *κύαθον* pridem intellectum est. Similiter apud Nonium p. 27, 5 *helquisticon* scribitur quod est *ἑλκυστικόν* et *quiamicos* pro *κυνικός* p. 358, 21. Quibus scripturis possit videri Isidori locus in originibus XIX 4 Lind. illustrari: *Anquina funis quo ad malum antenna constringitur; de qua Cinna: Atque anquina regit stabilem fortissima cursum.* Nempe scripturam *anquira* h. e. *ἄγκυρα* Isidorum fefellisse credas quamquam est in Philoxeni glossa *anguina*, *ἄγκυρα*, *συνάγχη*, *κύναγχος* qua *anquina* cum *angina* in unum conflatum esse apparet. Mirabilis tamen ab Isidoro data vocis explicatio *anquirae* voci haud accommodata est. Eiusdem autem vocabuli vestigium apud Nonium apparet qui p. 536, 6 haec scribit *Anchorae*, *vincla quibus antemnae tenentur. Lucilius: armamenta tamen*, *malum*, *vel omnia servo: Funis enim praecisus cito atque anchora soluta.* Non fugit doctos quam haec singularis anchorae explicatio cum Isidoriana *anquinae* conveniat: et tamen tam narratae rei condicione quam versus necessitate *ἄγκυρα* requiri putarunt, ut Nonius quoque *anquirae* scriptura deceptus sit. Vide de ea controversia Weichertum Poet. Lat. Rel. p. 191 et quos ille attulit. Verum re propius inspecta non est quod latinitati *anquina* vocem eripiamus, quae tam Cinnae quam Lucilio reddi debebit. Ceterum in Lucilii versu cum *vela omnia* Iunius correxisset nescio tamen an rectius pone *vela* interpungatur:

Armamenta tamen, *malum*, *vela*, *omnia servo.*

II.

Atque hac postrema observatione ad alterum emendandi genus deducimur quod interpunctione continetur. Ut enim in illis exemplis manum scriptoris litteris vel syllabis sive coniunctis sive diiunctis resuscitabamus, sic item verbis vel sententiae partibus interpunctione aut comprehensis aut separatis licet sententias illustrare et ab iniustis nonnumquam correctionibus vindicare. Cuius rei non leve momentum est in his abruptis fere et mutilis reliquiis scriptorum quales a Nonio offeruntur praesertim cum quod subinde accidit in Lucilii Varronisque quae maxime persequimur fragmentis non uni

eidemque sed diversis personis sint sententiarum particulae attribuendae.

P. 358, 25 Nonius hunc Lucilii versum tradit: *offendere est percutere . . . Lucilius lib. XXVIIII: crus lapide, nihil est, credam si te offenderit.* In quibus C. Barthius ita nihil sententiae dispiciebat ut *crus lapidi nihil est, cerebrum ni offenderis* parum prudenter corrigeret. Quae tamen cum intellegi possint, Gerlachii vix capio mentem qui 'de sua coniectura' *crus lapide, nihil est, caedam, si te offenderit* in exemplo suo scripserit. Nec Corpeti interpretatione gallica *ce n'est rien, je pense, que de te cogner la jambe à une pierre* sensus Lucilii refertur. Quid multa? Ubi recte verba distinxeris et inter duas personas distribueris ilico quid poëta voluerit apparebit:

A. *Crus lápide? Nihil est.* – B. *Crédam si te offénderit.*

In quibus ne illud quidem offensioni est quod *te* in qua vocula vis sententiae vertitur elisione delitescat.

Itidem inter duas personas distribui oportuit Lucilii versus qui apud Nonium p. 290, 1 e libro XXVIIII citantur:

A. *At non sunt similes neque dant.* – B. *Quid si dare vellent,*
Acciperesne? doce.

Nam *quid si* Mercerus rectius pro librorum *quid sint* quam Gerlachius *quodsi.* Ceterum hos hexametros ut nonnullos alios errore Nonium e XXVIIII citavisse Lachmannus adnotavit. Nec magis in hoc libro locum habere potuit quem inde Nonius p. 379, 18 perhibuit *anno vertente dies tetri miseri ac religiosi:* de quo quae Kochius in exercitationibus p. 7 excogitavit improbabilia sunt. Mihi numeri non constare videntur nisi reposueris:

. *anno vertente dies tetri miseri atque*
Religiosi.

Porro personarum distributionem ne in hoc quidem versu agnoverunt quem Nonius p. 330, 30 exscripsit: *interficere consumere, finire. Lucilius lib. XXVIII: piscium magnam atque altilium vim interfecisti, ut nego:* ubi *gnam* Wolfenbut-

telanus, unde *genera* post Iunium Mercerus. Magis in fine versus haeserunt: Ianus Dousa *Interfecisti ut video*, Gerlachius *interfeci: istud nego* e nescio cuius viri docti suspicione qui itidem *interfecisti: id nego* coniecerat. Corpetus hanc scripturam *interfecisti ut ne ego* interpretatione expressit: denique Düntzerus *interfecisti Harpago*. Reponendum erat:

A. *Piscium*
Magnam átque altilium vim ínterfecisti. – B. *Haút nego.*

Senarium autem iambicum quod malo quam trochaicum septenarium describere, in ea re Lachmanni auctoritatem sequor qui quod supra dixi illud versuum genus huic libro solum vindicavit: itaque idem in Lucretio p. 170

Sócratem
Quidám tyranno mísse Aristippum aútumant.

Quare quos Nonius p. 175, 21 et p. 249, 2 ex eodem libro citavit versiculos sic distribui oportuit:

Praetérea hunc subsicivam si quandó voles
Operám

et:

cómmovet
Se núsquam neque committet ut pereát sibi

segregari autem ab eo libro praeter hexametros nonnullos vel hos septenarios apud Nonium p. 175, 33:

Sárcinatorem ésse summum, súere centonem óptume

et p. 248, 24

Quid me fiet, siquidem nunc vis te inprobis committere?

ubi exposcente sententia *nunc* restitui pro eo quod est in libris *non*: nam in Merulae fallaciis quibus Ianus Dousa confidit non est quod inmorer.

Postremo in editionibus personarum distributio desideratur in hoc Lucilii versu apud Nonium p. 36, 27: *Depilati dictum rarefacti. Lucilius lib. XXVIIII: nato quid actum est? depilati omnes sumus.* Probe Mercerus *Gnato* ascito altero Lucilii versu quem mox afferam. Quam emendationem qui suam fecit Corpetus ne sic quidem recte vim verborum ac-

cepit cum ita interpretatur *La belle affaire, Gnaton! nous voilà tous plumés!* Nempe non uno tenore illa elata sunt sed ita distinguenda:

A. *Gnató, quid actum est?* – GN. *Dépilati omnés sumus.*

Gnatonis autem nominis e Terentii Eunucho noti mentio est apud Lucilium in versu quo bis utitur Nonius p. 272, 12: *Lucilius lib. XXVIIII: caede hostium, grato urge reistam perimus* et p. 417, 32 *Lucilius lib. XXVIII: caede ostium, Gnatho, urge: restant: perimus*, emendate modo *periimus* reponatur. (Cf. I. Beckerus in mus. Rhen. V. p. 41). De libro cum discrepent Nonii testimonia, suadente altera Gnathonis commemoratione utrumque versum adscripseris uni libro XXVIIII quem librum senariis iambicis et septenariis trochaicis compositum esse Lachmannus affirmat. Itaque cum tam senarius quam septenarius esse possit versus apud Nonium p. 196, 12, ego malim septenaria mensura dimetiri hoc modo

Déierat enim scribsisse et póst non scriblurúm; redi
In consortiónem

quam ut vulgo senariis

déierat
Enim scripsisse et pósl non scripturúm: redi in
Consórlionem

in quibus tam *enim* praefixum versui quam *in* affixum displicet: ne quid de Gerlachio dicam qui metro nullo et verbis quae sanissima sunt corruptis ita scripsit

Deierat enim scripsisse et post non scripturum
Redire in consortionem.

Deierat autem perfectum est pro *deieravit* (cf. Lachmannus in Lucretio p. 290): quamquam producta ultima ne in praesenti quidem offensioni esse possit.

Corrigam in transcursu alterum ex eodem libro septenarium. Nonius enim p. 27, 9: *Lucil. lib. XXVIIII: non rediret ad se, atque illam exterminare miseram*, ubi olim recte *exterminaret* edebatur, *miseriam* e libro Fabri affert Mercerus: sed perpurgatus demum hoc modo exibit versiculus:

Ut rediret ád se atque illam extérminaret misériam.

Qui versus admonet alterius quem e libro XXVI (XXVII Leid.) Nonius p. 74, 20 affert *ardum, miserrimum atque infelix signum sabucum vocat*, ubi cum Iunius verissime *lignum, sambucum vocant*, mirum est neminem *miserulum* restituisse, id quod tam concinnitate sententiae quam metri ratione exposcitur: septenariis enim trochaicis libros tam XXVI quam XXVII totos exaratos fuisse auctor est Lachmannus. Quare cum apud Nonium p. 74, 24 haec habeantur: *Averruncare, avertere Lucilius lib. XXVI: di minuerint meliora, amentiam aberruncassint tuam! Pacuvius Medo: possum ego istam capite cladem averruncassere. M. Tullius de Finibus bonorum et malorum: di maluerunt meliora, atque amentiam aberruncassint meam!* recte fecerunt quod quo ipsius Nonii testimonium p. 507, 26 ducebat in Pacuvii Chryse (p. 74 Ribbeckii) hunc octonarium apposuerunt

Di mónerint meliora átque ámentiam áverruncassínt tuam.

Lucilio vero non erat quod addita contra Nonii testimonium *atque* particula pro bono septenario itidem tribuerent octonarium. Quidni enim Lucilius cum Pacuvii versu in suis saturis uteretur eum leniter ita immutasset ut a semet ipso adhibitis numeris conveniret.

Sed redeo ad interpungendi rationem. Qua corrigam Lucilii versum quem Nonius scribit p. 74, 4 *Aera, numeri nota. Lucil. lib. XXVIIII: hoc est ratio: perversa aera, summa et subducta improbe:* in quo *haec* ante Mercerum vulgabatur, *summa est* Casaubonus restituit. Distingui autem verba ita debebant

Háec est ratio? Pérversa aera, súmmast subducta ínprobe.

Cum eo vero versu cohaerebant olim ex eodem libro citati a Nonio p. 283, 30

. . *age nunc, súmmam sumptus dúcat atque aerís simul,*
Ádde alieni,

de quo dixit Hauptius in observationibus criticis p. 46, et p. 399, 13

. *eodem uno hí modo ratiónes subducént suas,*

quem Düntzerus apud Gerlachium corrupit coniectando *uno*

eodemque: nam itidem Lucilius apud Nonium p. 463, 10 *diutius eadem una maneant in sententia.*

Eadem ratione nescio an etiam hic versus restituatur apud Nonium p. 301, 16 *Excidere, dissentire. Lucilius lib. XXVII: metuo ut fieri possit ergo, quo ab Arciloco excido.* Sic et Merceri exemplum et Basiliensium qui e Genevensi et Bernensi *ego vivo ab arciloco excidere* adnotarunt, in quibus *excidere* e lemmate Nonii sumptum est manifesto. Lucilii editores Franciscum Dousam secuti sunt qui verba ita a se restituta

metuo ut fieri possit egoque ab Archilocho excido

Archilochio versu illustrat *οὐκ ἄπιστα πάντα κἀπίελπτα γίγνεται Ἀνδράσι* a qua sententia se sive Lucilius sive alius quis cui illa verba tribuerit dissentire fateatur. Attamen mihi verba ut a Nonio tradita sunt consideranti non tam emendatione quam distinctione opus fuisse videtur.

Metuo ut fieri possit. Ergo quo ab Archilocho excido?

In quibus *quo* eodem intellectu habetur quo Meinekio auctore in eo Varronis versu accepi de quo dixi in coniectaneis p. 187

Tu nón insanis? Quó tibi vino córpus corrumpis mero?

Puto enim errasse virum doctissimum qui nuper Varroni *tu non insanis quom* restitui iussit. Sed Lucilii versus cum ab sententia nihil difficultatis afferat propter metricam rationem offensioni est. Non dico hiatum in his *quŏ ab Ar* qui legitimus est et a Lucilio adhibitus in hoc hexametro *quid servas, quo eam, quid agam?* apud Nonium p. 387, 26. Sed alter hiatus accedit in his *Archilocho excido* qui etsi per se fortasse possit eodem nomine excusari tamen ipsa geminatio licentiae suspicionem movet de mendo. Uterque amovetur cum una addita littera reposueris *quor*, id quod olim Lachmannus voluit ei versui Horatiano restitui in quo nunc ab optimis editionibus *quo pinus ingens* circumfertur.

Sed iam Varronis quoque locis nonnullis eandem adhibebo medelam. Itaque quam Nonius p. 83, 1 de Marcipore sententiam perhibet *astrologi non sunt, qui conscribillarunt pin-*

gentes caelum interrogatio est et duplicis quidem interrogationis pars altera ex eo genere quod Madvicus opusculorum academicorum p. 142 Ciceroni de legibus I 17 restituit *an arboris aut eculei ingenium natura probabimus, ingenia iuvenum non item?* e. q. s. Ita Varronis quoque sententiae olim hanc fere conformationem fuisse suspicor *[An extispices sunt stulti], astrologi non sunt, qui conscribillarunt pingentes caelum?* Nec enim erat quod *pingentes* depravatum arbitrati *pigmentis* Gulielmus, Oehlerus autem *figmentis* reponerent. Ceterum illud fragmentum eadem sententiarum comprehensione coniunctum fuisse cum his ex eodem Marcipore citatis *Utri magis sunt pueri, hi pusillini, qui spectant nundinas ut magister dimittat lussum* — (Non. p. 133, 17 et p. 214, 24) et *Ut eat ac rempublicam administret quod pulli ieientent* (Non. p. 126, 13) O. Ribbeckius significavit mus. Rhen. XIV 120, qui quod in ea satura Varronem Marcipori de humanarum cupiditatum studiorumque varietate et perversitate praecepta dedisse opinatur, nescio an e consuetudine inscriptionum Varronianarum probabilius Marcipor credatur ero de eis rebus sensus exprompsisse suos, quemadmodum Horatius in satura septima libri secundi sibi a Davo servo consilia dari et probra obiici fingit.

Addito interrogationis signo fortasse licet alterum eiusdem Varronis e Synephebis exemplum reparare quod Nonius scribit p. 156, 31 *verere ne manu non mittat? Cum loctro medicarios honestos audissemus dare possis, mittet. Quodsi non mittit, fugies, si me audies: cum tempus revocat ea praecox est fuga.* Superiora illa insigniter depravata non potui emendare: sed sententia est in universum plana, ut mirere editores fugisse, haec extrema *cum tempus revocat* e. q. s. aut interrogative esse accipienda aut negatione ante *praecox* addita in contrariam sententiam convertenda. Hoc qui praetulerit is, quod ego non magni facio, integrum nansciscetur senarium: illud qui secutus fuerit simul concedet pone *audies* desiderari quibus interlocutorum alter fugae rationem immaturam reiecerit. Ceterum eadem Varronis sententia vel haec posterior quidem eius particula apud eundem Nonium olim legebatur p. 150, 15 ubi item *praecocis* exempla scripsit Ennii de annalibus [v. 282

ed. m.], Lucilii lib. III: *anicula aspera atque praecox est fuga,* Novii [v. 126 Ribb.]. Nimirum haec *praecox est fuga* residua sunt e Varronis exemplo quod homoeoteleuti ratione intercidit, ut ad Lucilium redeant haec tantum *anicula aspera atque praecox* quae qui ad probabilem sententiam et heroicum numerum revocarit vidi neminem: immo Vargesius Gerlachiusque ne illam quidem pridem a Palmerio perspectam loci condicionem agnoverunt.

In controversia est interpunctio in Herculis Socratici fragmento quod Nonius bis attulit p. 539, 7 *chlames q. s. Virg. . . . Varro Hercule Socratico: cubo in Sardiniais tapedibus; clamidas et purpurea amicula* et p. 542, 15 *tapete, tegmen unite pictum de coloribus variis. Varro Hercule Socratico: in omnibus rebus bonis cottidianis: cubo in Sardinianibus tapetibus.* Sic enim pone *cottidianis* cum Mercerus tum Basilienses editores interpunxerunt. Oehlerus autem sine ulla distinctione *in omnibus rebus bonis cotidianus cubo in S.* et itidem Röperus qui metra sectatus ita scribit in philologi IX p. 236

In ómnibus rebús bonis cottidie
Accúmbo in Sardiánicis tapétibus,
Chlamydást purpurea amiculo . . . . .

Et tamen pridem Ruhnkenius ad Rutilium Lupum I 2 p. 11 sententiae particulas verissime ita distinxerat *in omnibus rebus bonis, cottidiano cubo in S. t.* Nec enim Nonium qui noverit in eo haerebit quod priore loco reliquis omissis a *cubo* non a *cottidianis* sententiam incepit. Ac *cottidiano* quoque quam formam Charisius I p. 177 P. exemplis firmavit Ruhnkenium puto rectius scripsisse quam Iunio auctore Oehlerum *cottidianus.* (Cf. C. Halmius ad Cic. or. in Vat. 1, 3 p. 38). Illud autem quod est *cottidianis* librariorum oscitantia ob viciniam *bonis* vocabuli effinxit, quemadmodum ibidem *Sardinianibus* ortum est e proximae vocis *tapetibus* exitu. Röperus autem valde improbo quod metri causa *cottidie* reposuit, qui ne *cubo* quidem ob eandem rationem mutare in *accumbo* debuit. Nam numerosi quid etsi persentiscitur in illis verbis, tamen ego de metro hoc tantum

concedo posse fieri ut illa *in omnibus rebus bonis* e versu deprompta sint. Sed haec non plenam sententiam referunt, initio verbum desideratur quod potuit *vivo* esse. De reliquis sic statuo cum Röpero *Sardianicis tapetibus* bene Ruhnkenium restituisse, in qua re non obstat quod duplex Nonii testimonium *Sardinianis* potius formam commendare videatur. Est enim mirabilis illa Nonii in perversis constantia quam saepius tetigi. Denique postremum commation Oehlerus probabiliter refinxit *chlamyda est purpurea amiculo:* ita Sallustius in historiarum secundo (p. 142 Kritz.) *toga picta plerumque amiculo erat ei accumbenti.* Quod vero est in plerisque libris *clamidas et* ab eo fere non distat Wolfenbuttelani scriptura *clamida sed.* Sic apud Nonium p. 195, 3 in Lucilii versu plerique libri *asparagi molles et viride cyma*, unus Wolfenbuttelanus *molle sed*, unde perperam *molles sed* vulgatur, ac gravius erravit Vargesius (Lucilii saturarum quae ex libro tertio supersunt p. 17) qui a Charisio I p. 55 P. e Lucilii tertio allata *asparagi nulli* cum illis in unum hexametrum conectenda coniecit

Asparagi molles nulli sed viride cyma.

Quo esset sane probabilius quod I. Beckerus ephem. antiq. 1846 p. 946 suasit *asparagi nulli molles*, nisi hoc omne conflandi reliquias studium in quo multus est Beckerus (cf. mus. Rhen. V p. 41 cum Ritschelii additamento) irritum esset. Mirum enim viros doctissimos fugisse, non posse *asparagos molles* et *viride cyma* commode inter se opponi: ut taceam apud Lucilium quem non semel epularum delicias attigisse reliquiae ostendunt multifariam potuisse asparagorum mentionem fieri. Sed ut redeam illuc e *clamidas et* scriptura Röperus iure *chlamydast* formam recuperavit. Geminum illud est quod in Lucilii versu e libro XXVII apud Nonium p. 477, 29 scribitur *nec si paulo minus usuras et magna adiutatus diu*, ubi cum Düntzerus *usura magna adiutatur* reponendum coniecisset, Corpetus recte *usura est* nisi quod *usurast* exarare debuit. Eandemque scripturam ipsae librorum discrepantiae suadent huic Lucilii versui quem mirabiliter Gerlachius deformavit restitui

'Aggere in iaciúndo si quost vineis actis opus,
Primum id dant operam út quam primum appéllant . . . . .

Sic enim Nonius p. 238, 25 *agere in iaciundo si quo est in vineis actis opus;* p. 243, 31 *agere in iaciendo si quos tu vineis actis opost;* p. 327, 25 *agere in iaciendo si quo est* (*quost* Leid. Genev.) *vineis actis opus* (*opust* Leid. Genev.).

Denique distinctione potius quam correctione mihi visum est indigere fragmentum saturae Ἔχω σε περὶ τύχης quod Nonius p. 228, 7 exhibet *tela dextra vibrant russatia emicant atque insignibus Martis torques aureae scuta caelata Hibero argento gravi crebra fulgent.* Perscribam breviter doctorum restituendi verba conamina. Itaque Oehlerus de sua coniectura *russa acie emicant atque in insignibus Martis* edidit, a quo non multum abludit Prelleri opinatio *russata acie micant:* improbabilis utraque quia illato subiecto quale est milites quod illi videntur voluisse descriptionis concinnitas diluitur. In Oehleri vestigiis haesit H. A. Kochius (exerc. crit. p. 23) qui numeros recuperaturus ordinem verborum parum prudenter commutavit

Téla dextrá vibrant, ácie russa émicant,
Mártis insignibus: tórcues aúreae,
Scúta caeláta Hiberó gravi argénto crebra fúlgent.

Multo vero licentius Röperus in philologi IX p. 246 numerorum quae sibi agnovisse videbatur vestigia sectatus cum verba correxit tum maxime verborum seriem disturbavit. Quem conatum cum ipse reiecerit, non est quod amplius excutiam: compensavit autem altero quem in programmate Gedanensi a. 1858 p. 6 'virorum doctorum iudiciis proposuit'

téla dextrá vibrant, rússa trina émicant,
átque in insignibus Mártiis tórcues
aúreae et scúta caeláta Hibero
argénto gravi crebra fúlgent.

In quibus ut mittam alia quae mihi quidem displicent *russa trina* (cui Iunius *russa tria* praeiverat) ne adscripto quidem Polybii loco quo Röperus utitur intellegi potest VI 23, 12 ἐπὶ δὲ πᾶσι τούτοις προσεπικοσμοῦνται πτερίνῳ στεφάνῳ καὶ

πτεροῖς φοινικίοις ἢ μέλασιν ὀρθοῖς τρισὶν ὡς πηχυαίοις τὸ μέγεθος, unde tantum disci potuit ne apud Varronem quidem si illam sententiam exprimere volebat *pinnas* vel simile quid desiderari potuisse.

Itaque referimur ad librorum memoriam in qua Gerlachius cui nemo obtemperavit me iudice verissime *russitantia* coniecit quod ad *tela* referri debuit. Notum est quoties in his participiis et similibus *n* littera ante *s* et *t* in libris interciderit velut in his reliquiis apud Nonium p. 46, 26 *vulpinare modo et concursa qualibes erras* pro *errans.* Cf. nunc Corsseni librum de pronuntiatione linguae latinae p. 97 et p. 100. Quare nunc duo illius fragmenti commatia integra sunt primum et tertium *tela dextra vibrant russantia* et *torques aureae, scuta caelata Hibero argento gravi crebra fulgent,* mancum medium: nec enim quicquam mutari debuit in his *emicant atque insignibus Martis*: desiderantur autem cum subiectum verbi tum alter ablativus nominis cui iuncta erant *atque insignibus Martis.* Coniicerem addenda *[galeae cristis] emicant atque insignibus Martis* nisi illud retineret quod ex eadem satura Nonius p. 179, 6 hanc hexametri partem *Aerea terta nitet galea* rettulit: quae cum illis aliquo modo conexa fuisse est sane probabile, etsi singulari numero *galea* discrepat ab illis *tela, torques, scuta.* Itaque hoc in medio relinquam: de lacuna autem si quid veri ut puto tetigero iam eo nomine illa recuperandi numeros conamina corruunt, cum praesertim e reliquis sine machinis nullus versiculus prodeat.

Saepius in superioribus cum alia depravationis genera persequeremur simul lacunas quae nobis quidem videbantur deteximus. Itaque nunc nonnullos Varronis de saturis locos apponam qui mihi de eadem labe suspecti sunt.

Nonius p. 82, 31 *conscribillavi pro conscripsi. Columna Herculis* περὶ δόξης: *itaque eas inceravi Herculis adlis. Idem Marcipore* . . . Varronis Columnam Herculis dici licet alterum eius saturae testimonium non extet, praeter indicem ipsum ea quae sequuntur *Idem Marcipore* declarant. *athlis* correxit Mercerus: sed *conscribillandi* vocabulum quod Nonius citat cum in eo fragmento desideraretur, in editionibus Mercero

superioribus *eas in ceram conscribillavit Herculis* circumferebatur, Mercerus ipse *eas inscribillavi Herculis* reponi suasit in adnotatione, denique Oehlerus *ceras conscribillavi Herculis* exprimi curavit non ille assentiens editori Basiliensi aliquid excidisse iudicanti rectissime. Nimirum sic tam Varro quam Nonius scripserant

> *'Itaque eas incéravi [atque cónscribillavi] Hérculis*
> *'Athlis.*

Nam ne de versu quidem mihi videtur dubitandum esse. Corruptelam autem manifestum est propter parilem verborum exitum ortam esse, quemadmodum in hoc versu Varronis

> *úbi graves pascántur atque alántur pavonúm greges*

cum a Nonio bis perhibeatur p. 314, 30 et p. 440, 13 hoc posteriore loco pone *pascantur* haec quae sunt *atque alantur* omissa sunt. Similem emendandi viam Röperus iniit philologi IX p. 232 qui metri vestigia legens duplicem conformationem proposuit hanc

> *'Itaque tabulas inceravi et cónscribillavi Hérculis*
> *'Athlis*

vel *'Itaque eas incerávi et athlis cónscribillavi Hérculis.*

Quarum haec modestiae lineas excedit, in illa praeter necessitatem vel metri vel sententiae pro *eas* repositum *tabulas.* Etsi enim nihil aliud quam tabulas significari apertum est, nil tamen impedit quo minus earum in superioribus mentionem fuisse credamus. Ceterum illa e prooemio sumpta sunt saturae qua Varro fere ut in Sesquiulixe 'cursus duplicis per mare Ulixei' sic Herculis athla ac peregrinationes perscripserat.

Per homoeoteleuton puto vocem interiisse in hoc quoque fragmento de Varronis Gerontodidascalo apud Nonium p. 112, 22 *confluit mulierum tota Roma: quae noctu fieri initia solita etiamnunc pinea faxs indicat.* Frustra enim superiora illa Oehlerus ita explicuit *confluunt quotquot sunt Romae mulieres,* in quam rem quod ille Eumenidum fragmentum citat *vulgus . . non furiarum sed puerorum atque ancillarum* eo nihil aliud pro-

batur quam quod tritum est *vulgus* latine pro quavis multitudine dici. Nec probabile quod ipse in coniectaneis p. 80 opinabar Nonium vocem velut *turba* praetermisisse unde *mulierum* genetivus suspensus fuerit. Immo si quis Catulli versum de epithalamio Pelei et Thetidos 32 *domum conventu tota frequentat Thessalia* vel haec Propertii verba II 6, 1

Non ita conplebant Ephyreae Laidos aedes
Ad cuius iacuit Graecia tota fores

contulerit haud ei improbabile videatur Varronem quoque dixisse *totam confluere Romam* – nisi ita vel gravior difficultas *mulierum* nomini oboriretur. Itaque nunc hanc qua omnis dubitatio auferatur emendationem amplector *confluit [quidquit] mulierum tota Roma.* Refero autem sententiam ad nuptias quae aliis quoque nonnullis eiusdem saturae reliquiis designantur. Prellerus quidem in mythologia Romana p. 718 adn. 3 de Bacchanalibus cogitavit nisi fallor ob *initia* quae dicuntur et confluxum mulierum. Sed eum concursum ne ab nuptiis quidem alienum esse nescio an Statii versus in silvarum primo 2, 230 indicio sint. *Initia* autem ne recte quidem ibi legi in coniectaneis p. 80 dixi Riccobonique scripturam *initio* commendavi. In quam rem nunc Varronis testimonio utar apud Servium in Verg. buc. 8, 29 *Inde Varro in Aetiis dicit sponsas ideo faces praeire quod* a n t e a *nonnisi per noctem nubentes ducebantur a sponsis.* Quibuscum conferri iuvat Festum p. 245 M. *patrimi et matrimi pueri praetextati tres nubentem deducunt: unus qui facem praefert ex spina alba,* q u i a n o c t u n u b e b a n t; *duo qui tenent nubentem* et Varronis de vita populi Romani verba apud Nonium p. 112, 182, 302 quae in unum coniungi debere Scaliger in coniectaneis p. 28 docuit, emendatiora G. Thilo meus de Varrone Plutarchi quaestionum Romanarum auctore p. 22 perscripsit *Cum a nova nupta ignis in face adferretur foco eius sumptus, cum fax ex spinu alba esset et eam puer ingenuus adferret, contra a novo marito cum item e foco in titione ex felici arbore ignis et in aquali aqua allata esset.* De face ex spinu alba addi potest Varro in Aetiis apud Charisium I p. 117 P., quamquam in Gerontodidascali fragmento

pinea fax firmiter teneri debet. Cf. A. Rossbachius de matrimonio Romano p. 339.

Absque homoeoteleuto sed nihilo incertius videtur lacunae indicium in hoc fragmento apud Nonium p. 78, 10 *Varro Octogesi περὶ νομισμάτων: in quo nobilius est philippeum, quod accipimus, quam quod bibimus, cum alterum addamus in bulgam, alterum in vesicam.* In quibus *nobilius* non mutabo cum H. A. Kochio qui de nobilitate ibi nil, de utilitate quaeri arbitratus *nobis utilius* reponendum coniecit in exercitationibus p. 27. Illud miror neminem vidisse, mancam esse sententiam nisi definitius significato eo quod bibitur, id quod ego librariorum socordia interiisse suspicor. Vide enim an non egregie vis lepidi dicti augatur si vel hoc modo quem exempli gratia propono suppleveris *In quo nobilius est philippeum quod accipimus quam [κύπελλον vini] quod bibimus.* Ceterum non erat quod olim in *addamus* haerentes vel *abdamus* vel *condamus* reponerent. Illa voce Varro in compari sententia utitur e Sexagessi apud Nonium p. 187, 20 *Eo ut viaticum ex arcula adderem in bulgam* quam Oehleri neglegentia corrupit.

Parmenonis fragmentum est quod bis attulit Nonius p. 28, 9 *compedes non a pedibus dictae sed ab impedimento. Varro . . . Idem Parmenone: lepusculi timentes hoc quadrangulum Dedit Diana rete nexile archias Viscum fugam lineamque compedam* et p. 451, 25 *viscum positum pro rete, a tenacitate. Varro Parmenone: lepusculi timentis hoc quadrangulum dedit Diana rete nexile ata Viscum fuge lineamque conpedam.* Tetigi hos versus in coniectaneis p. 96 ubi vulgo non recte pone *quadrangulum* interpungi adnotavi cum ea vox non a *timentis* vel *timentes* participio sed ab his *dedit Diana* ut reliqua suspensa fuerit. Omissis ceteris nunc de tertio versu dicam quem etsi multi variis coniecturis temptarint nondum probabiliter restitutum arbitror. En habes uno conspectu quae olim excogitata sunt quorum pars linguae usu vel sententia alia improbabilitate mutationis respuuntur: *viscum fugamque; viscum fugelam*; *viscum sagenam; viscatam fundam* Gerlachii; *viscum fucatum* Oehleri. Sanius profecto istis omnibus Mercerus *viscum fugaï*, 'quia viscum inhibet ac retinet fugam.'

At tamen dubito de eo usu genetivi cuius geminum exemplum desidero. Itaque mihi librorum memoriam consideranti et quod sententiae conveniat circumspicienti incidit suspicio de lacuna. Sic enim putabam Varronem scripsisse

Viscúm fugam [arcens] lineamque cómpedam.

Sed una restat dubitatio de metro: cum Lachmannus in Lucretio p. 199. Varronem inter eos poëtas recenseat, qui 'ab elisione vocabulorum ïambicorum omnino abstinuerint.' Attamen unum ipse Lachmannus excepit exemplum in Sotadeo *equi hinniunt*: cf. coniectanea p. 25. Quid igitur si Varro in reliquis quoque non eam severitatem quam ille praedicavit exercuerit, cum praesertim vox illa ïambica non in vocalem sed in *m* litteram desinat.

E Vinalibus περὶ ἀφροδισίων quod Nonius p. 8, 2 citavit fragmentum *ec enim sic vide: utrum mercedem accipit is, qui meas venit segetis ut sarriat, an ego ab illo? Sic ego cum tus sim sartor, si tu plus laboras, quam ego do* in eo cum olim *etenim* et *tuus* correxissent, dupliciter mancam concinnitatem praetermiserunt. In coniectaneis p. 82 pone *utrum* necessario *a me* inseri debere scripsi: at in altera quoque enuntiati parte quo comparatio constet non nulla desiderantur quae ita refingo *Sic ego cum tuus sim sartor [accipio mercedem], si tu plus laboras quam ego, do.* Sententiam Mercerus explicuit. 'Titulus libri', ait, 'indicat actum esse de re uxoria. In iis lepida haec allocutio viri ad uxorem qua deberi mercedem asserit culti hortuli muliebris non minus quam si agrum alterius coluisset.' In quibus illud tamen parum probabile quod haec inter virum et uxorem agi opinatur. Immo per vinaliorum opportunitatem quod festum a meretricibus celebrabatur amasium potius credideris avariori meretriculae illis ratiunculis probatum ivisse, non illam a se sed semet ab illa mercedem exposcere posse.

III.

Notum est librarios satis multis notis usos esse syllabarum et vocabulorum quae cum aliorum codicum scribis tum

criticis non ita raro fraudi fuerunt. Attamen cum in ea re adiumentum criticae positum sit haud contemnendum, tamen cavendum est ne cum doctis quibusdam hominibus temere ex eis artificiis omnem criticae salutem repetamus aut compendia statuamus quae numquam extiterunt. Sic in Nonii libro huius remedii parcissimus usus est. Sed sunt tamen nonnulla in quibus compendiosam illam scribendi rationem librariis obfuisse verisimile est.

Nonius scribit p. 91, 1 *Varro et ratione Aut frigidos nimbos aqua icta caduciter ruentis Pertimuerunt aquatilis querquetulae natantes.* In versibus quae residebat labecula eam nuper (mus. Rhen XIV p. 438) Bücherus abstersit *nimbos cito ac caduciter* reponens. Idem recte iudicavit indicem quem Oehlerus Mercero auctore saturae praefixit *Erratio* nullam habere probabilitatem, sed quod *et ratione* ad Varronis verba retulit, nescio an vincat si cui contigerit ex illis probabiliter inscriptionem saturae resuscitare. Nimirum quod hodie in libris legitur *etratione* in antiquo codice *etrione* exaratum fuisse suspicor: quod cum non intellegerent librarii decepti vulgatissimo quo *ratio* scribi soleret compendio restituerunt quod intellegi posset. Non magni ad hanc rem facio quod in editione a. 1583 e codice ms. afferri *et trionem* Basilienses adnotarunt. *Aethrionem* igitur (nam hoc illud est *etrione*) cum Varronianis saturis addi suadeo, abest quidem alterum eius inscriptionis indicium, sed sunt aliae quae et ipsae uno tantum testimonio nituntur. Atque in promptu est Caecilii Statii comoedia *Aethrio*, quod nomen quoties librarii deformarint Ribbeckii recensio testatur. Varro autem cum in indicibus saturarum persaepe comoediae tam Graecae quam Romanae vestigia secutus sit, tum ipsius Caecilii admonemur etiam altera Varronianae saturae inscriptione *Synephebus* περὶ ἐμμονῆς. Nonius quidem cum quinquies eius saturae mentionem faciat semel tantum in libris *Sinephebo*, quater *Varro in ephebo* legitur. Atque Ephebus Laberii, Ἔφηβοι Apollodori exstabant. Nec Oehleri ratione quod Nonius in afferendis Varronis saturarum inscriptionibus fere non uti *in* praepositione soleat poteris *Syne-*

phebum vindicare, quando Nonius quod ipsius Oehleri testimonia conficiunt haud ita raro ab ea recessit consuetudine. Quo uno argumento *Synephebum* tueare hoc est quod e *sinephebo* proclivi errore *in ephebo* oriebatur, in contrariam partem aegre peccarint librarii. Ita Nonius p. 370, 14 *Caecilius inaristosis* pro *Synaristosis* non prorsus quidem gemino illi exemplo et e graecis *ἐν ἐφήβοις* pro *συνεφήβοις* Apollodori adnotavit Meinekius in historiā critica comoediae Graecae p. 467. Nec denique quod saepius dixi apud Nonium haerendum est in ea constantia qua quod semel depravatum fuit deinceps firmiter tenuerint librarii[1]).

---

[1]) Per hanc opportunitatem verbo dicam de inscriptione quam Nonius p. 104', 27 hoc modo citavit *Varro sera parecte: purgatum scito, quam videbis Romae in foro ante tanienas pueros pila expulsim ludere.* De quo indice quid alii senserint quidque ipse antea iudicaverim in coniectaneis p. 211 narravi. Nunc nihil in traditis a Nonio litteris depravationis inesse arbitror: quodsi enim illa ita scripseris SERA ΠAPECTE sententia oritur quam non negaveris a Varrone potuisse saturae inscribi. Graecam quidem vocem quod cum latina iunxerit nescio cur in indice maiori offensioni sit quam in ipsis saturis. *Sera* autem pro *sero* vel *seri* positum quemadmodum in Endymionum fragmento quod supra tetigi *ut vigilare matura coepisti.* Verba ipsa haud scio an ita scribi oporteat *Sera parecte: te purgatum scito quom videbis Romae in foro ante lanienas pueros pila expulsim ludere.* Turnebum certe opinio fefellit qui 'Varro', ait, 'dicit nullam esse in foro hominum frequentiam, alioqui pila pueri ante lanienas fori non luderent.' Nondum probabiliter restitutus etiam hic titulus *εὗρεν ἡ λοπὰς τὸ πῶμα περὶ γεγαμηκότων*: sic enim vulgatur; de qua inscriptione quod ego levius Mercklini opinationes probatum ivi in coniectaneis p. 193 iure nuper in perdocti viri reprehensionem incurrit. Sed cum Nonius eam saturam ter citarit p. 478, 3 *Εὗρεν ἡ λοπὰς τὸ πῶμα περὶ γεγαμηκότων*, p. 526, 15 *περὶ τετανηκότων* omisso proverbio, denique p. 399, 30 *E. ἡ λ. τ. π. περὶ καθηκόντων*, ego non assentior Büchelero in hac postrema forma esse mirabilem quidem sed tamen errorem Nonii agnoscendum. Immo tam proverbii sententiam quam memoriam Nonii dum considero persuadeo mihi hanc fuisse pristinam eius tituli conformationem *Εὗρεν ἡ λοπὰς τὸ πῶμα περὶ καθηκόντως γεγαμηκότων*. Inde quod ortum est *περὶ καθηκόντων*, compar exemplum in coniectaneis p. 212 tetigi, ubi PEPIAO natum esse ex ΠE[PIΦIΛAPΓY]PIAC probavi. Quod vero *καθηκόντως* bis omissum est,

Redeo ad compendia scripturae. Constat quo modo in antiquis libris *con* particula praefixa scribi soleat. Eius compendii ope videor mihi multum vexato Varronis fragmento de Endymionibus mederi posse quod Nonius p. 231, 33 ita scribit *animum mitto speculatum tota urbe*, (*orbe* Leid.) *ut, quid facerene, homines cum experrecti sint, me facere certiorem; si quis melius operam superet, ut eius consilio potius vigilius amminicularem nostrum, quid vidit aliud curvantem extrema noctis tempori.* Nempe sic puto Varronem ea scripsisse

Animum mitto speculatum tota urbe ut quid facerent homines cum experrecti sint me faceret certiorem: si quis melius operam sumeret, ut eius consilio potius vigilium amminicularem nostrum. Quid vidit aliud ac conuiuantes in 'extrema noctis tempora?'

Iam quo suum cuique tribuatur meaque viriliter confirmetur emendatio singula paulo accuratius persequar. Itaque *facerent* olim editiones quo non probabilius quod Rothio placuit *facerem*. Compari autem errore in Andabatarum fragmento apud Nonium p. 486, 6 *candidum lact e papilla cum fluit signum putane* in Wolfenbuttelano atque Gerlachio si fides sit *deiciane* pro *deiciant* in Lucilii versu apud Nonium p. 288, 30 quem talem fuisse opinor

Hás ec fenestra is in caput deiciant qui prope ad óstium 'Aspiraverint.

Cum enim Gerlachius in Lucilii editione *deiciane* scribat esse in Leidensi, idem in Nonii exemplo *deiciam* e Leidensi et Genevensi notavit; in reliquis libris *deiciunt* legitur. Ceterum *et fenestras* libri nisi quod *fenestris* manus secunda in Leidensi et Genevensi correxit. Ad eandem autem *t* et *e* litterarum commutationem redit depravatio Varronianae sententiae de Marcipore apud Nonium p. 79, 14

. . *delimát bipennis út levis passérculus;*

sic enim *delimat* Iunius verissime cui iniuria novissimus edidor non obtemperavit: libri *delunae*; Mercerus *delune*. *Delimare*

---

id quidem cum eis exemplis componi potest quae in coniectaneis p. 200 collegi.

enim notione obscoena etsi praeterea non extat tamen proclivem explicationem habet e *limandi* usu qui apud Plautum nonnumquam occurrit. Denique huc pertinere puto quod pro *ĕe* h e. *esse* exaratum est *et* in hoc Lucilii versu apud Nonium p. 330, 12

Aút quod animum indúxit semel esse útile omninó putat,

ubi libri *et ut ille* quo Gerlachius utitur ut arsi productam *ut* syllabam comprobet: Düntzerus transposuit *et ille ut*[2]), sed *utile* olim vulgabatur.

In Endymionum fragmento *me faceret* editiones, *sumeret* autem Scaligero debetur cuius commentum plene infra apponam: conferri autem potest praeter ea quae Kochius attulit ipsius Varronis verba apud Gellium XV 19 *quantum operae sumpsisti* hic Lucilii versus apud Nonium p. 396, 9

Húnc laborem súmas, laudem quí tibi ac fructúm ferat.

Porro *vigilius* quod est in libris e proximae vocis *potius* exitu ortum videtur: nam *vigilium* ipsius lemmate Nonii firmatur ut

---

[2]) Transponendo idem vir doctus alios nonnullos Lucilii versus corrupit velut in hoc

Ílle contra omnia: ínter plures sénsim et pedetemptím foris

apud Nonium p. 29, 7 *contra ille* transposuit: fugit eum *ille* pronominis prosodia: quare in hoc integerrimo septenario (Non. p. 37, 19)

Fácit idem quod illí, qui inscríptum e pórtu exportant clúnculum,
Né portoriúm dent,

de cuius metro Gerlachius fatebatur se non habere quod diceret, Düntzerus *idem atque illi.* Itidem in eo versu quem Nonius p. 527, 27 sic scripsit *hoc invenisset unum ad morbum illum homini vel bellissimum* transponi *invenisset hoc* volebat. Fuit autem hic versus quem Gerlachius quoque corrupit talis

Hóc invenisse únum ad morbum illum hómini vel bellíssimum.

Porro in hoc fragmento apud Nonium p. 374, 22 *proferat ergo Iam* (sic Basilienses) *vester ordo scelera, quae in se admiserit* cum I. Dousa heroicos numeros somniasset Düntzerus aut *iam* delendum aut transponendum *vester iam* coniecit. Immo scribendum fuit

Próferat ergo iam órdo vester scélera quae in se admíserit.

irritus fuerit corrector Leidensis *vigilias* reponendo. Sed haec cum levia esse graviora postremam fragmenti partem obsidebant: Oehleri ineptias qui ita scripserat *quod videt Ἥλιον coronantem extrema Noctis tempora* Kochius explosit in exercitationibus p. 24, quamquam ne ipse quidem feliciter

Quód vident aliúd curantem extréma noctis témpora,

in quibus *curantem* Rothii inventum est. Nec magis Röperum probo qui ut de reliquis nunc taceam haec postrema in hunc versum comprehendit (progr. Gedan. p. 4)

Quód vidit aliúm curtantem extréma noctis témpora.

Mirum est neminem ex his *Quid vidit aliud* quae si qua alia sana sunt quo emendaret reliqua profectum esse. Inde consectarium erat desiderari particulam qualis *ac* quam reposui sive *quam*. Cetera autem quae restitui *convivantes in e. n. t.* haud alienam a Varronis mente sententiam referre mihi visa sunt. Correctio ipsa probabilitatem si quid video non excedit cum praesertim animo informaris illa antiquitus ita exarata fuisse *c̄uiuantesin*. In quibus unam mutavi litteram, alteram adieci: sed *s* finalis saepe alias apud Nonium detrita est. Ita in Andabatarum fragmento quod Nonius p. 267, 11 exhibet *nec manus visco tenaci tinxerat viri casta* cum Meinekius iniustam Oehleri correctionem *auri* qua metrum pessum datur reprobasset, ne ipse quidem probabiliter *tincta erat* restituendum coniecit: immo quod 'in lib. var. lect. 583' extare Basilienses narrant *manus . . . castas* unice verum. Eodem errore obscuratum esse arbitror fragmentum e satura cui inscribitur Τριοδίτης Τριπύλιος περὶ ἀρετῆς κτήσεως[3]). Cum enim Nonius p. 410, 4 haec scribat *illud vero quondam* (*quodam*) *meae*, *ut*

---

[3]) Hanc inscriptionem saturae in coniectaneis p. 214 vindicare et viriliter explicare studui: nunc e Servii commentariis ad Vergilii georgicon I 34 Varronis narrationem breviter notabo qua eius indicis ratio illustrari videatur. Haec igitur Servius: *Varro tamen ait se legisse Empedotimo cuidam Syracusano a quadam potestate divina mortalem aspectum detersum eumque inter cetera tres portas vidisse tresque vias. Unam ad signum scorpionis, qua Hercules ad deos isse dice-*

ego non metuam fulmen, non aruspicem tristem, simul ac dici non quaero reliqua puto a me recte restituta esse in coniectaneis p. 82, sed postrema non expedivi in quibus mihi nunc persuadeo nihil aliud delitescere quam *simul ac dicis non queo* (scil. exstirpare). Nam quod *queo* refingo pro *quaero* non mirabitur qui quoties apud Nonium pro *que* exaratum sit *quae* reminiscatur velut in Lucilii versu p. 175, 15 *illisquae sibiquae simitu.*

Ad Endymionum fragmentum ut redeam *extrema noctis tempora* ideo secrevi quod haec tam numerus quam oratio persuadebant e versu deprompta esse. Scaliger quidem olim et nuper Röperus totum fragmentum versibus descripserunt, quos tamen ubi paulo propius aspexeris cumque traditis verbis composueris irrita opera effictos apparebit. En habes utriusque inventum et Scaligeri quidem hi sunt versiculi

Animum meum mitto speculatum toto orbe, uti
Quid facerent homines, quom experrecti sient
Me faceret certiorem: si quis sumeret
Me melius operam, ut eius consilio ocius
Vigilium adminicularem nostrum, qui videt
Alium curvantem extrema noctis tempora.

Röperi autem

ánimum mitto spéculatum tota úrbe, uti
quid fácerent homines, éxperrecti cúm sient,
fáceret certiórem, si quis mélius operam súmeret,
ěius consilio ut pótius vigilium ámminiculárém meum
quód vidit aliúm curtantem extréma noctis témpora.

Multo illis modestius cum haec tantum *extrema noctis tempora* poëtica habeam volo eandem huius fragmenti rationem esse, quam de Manii fragmento demonstravi in coniectaneis p. 14: *alterum bene acceptum dormire 'super amfitapo bene molli'* — nam

---

retur: alteram per limitem qui est inter leonem et cancrum: tertiam esse inter aquarium et pisces. Inde diluculo dispicitur quid iuxta posita τριοδίτης τριπύλιος sibi velint, nec licet in posterum de τριπόλιος cogitare. Sed plura alias.

amfilapo (codd. Nonii p. 540, 30 *amfilabo*) retinendum fuit, ut ibidem a Nonio citatus Lucilius *pluma atque amfilapoe*, quamquam idem *psilae atque amfilapae*. In eadem autem Manio satura puto simili modo formatum esse hoc fragmentum quod copulata tria Nonii testimonia p. 133, 30; 237, 14; 442, 32 prod% dunt *habens antepositam alimoniam sedens altus alieno sumptu neque post respiciens neque ante prospiciens*, sed '*limus intra limites culinae.*' Cum enim reliqua pedestrem orationem referant, haec postrema quae significavi non magis numeri quam color orationis indicio sunt poëtica esse. Ac certius etiam mixtam e prosa et versu orationem Marciporis fragmentum apud Nonium p. 451, 16 refert *Dixe regi Medeam advectam* '*per aëra in rheda anguibus*', cuius sententiam Oehlerus interpunctione pone *dixe* obscuravit. Iuvat autem illis Pacuvii versus conferre apud Ribbeckium 397, 398 *Angués ingentes álites iuncti iugo* et *volucri currit Axe quadriga*, quos de Medea dictos esse Augustini testimonio constat: quare non improbabiliter Ribbeckius in quaestionibus scenicis p. 294 eos versus Medo Pacuvianae adscribendos coniecit. Ad aliam vero narrationem Varronis verba pertinuerunt, quae qualis fuerit ex his Marciporis reliquiis colligitur quae seorsum ab Oehleri distributione sic ordinandae fuerunt.

(12) *Dixe regi Medeam advectam* '*per aëra in rheda anguibus.*'

(10) *Pelian Mediae permisisse ut se vel vivum degluberet dummodo redderet puellum.*

(4) *Eodem coniecisse mera miracula nescio qua.*

(11) *Haec in aëno bis terve tudiculasse.*

In his autem fieri potest ut Varro tragoediam aliquam secutus sit, quemadmodum eundem Ribbeckius in quaestionibus scenicis p. 261 adnotavit Andromedae fabulam non leviter tetigisse in ea satura quae περὶ ἐξαγαγωγῆς inscribitur. Ab Euripidis Peliadibus de qua tragoedia quae hodie sciri possunt Welckerus in libro de tragoediis Graecis p. 625 sqq. tradidit illud quidem quod Varro de Medea advecta per aëra in rheda anguibus iuncta narraverat alienum est.

Rursus ad Endymiones relabor in qua satura cum tam ea quae hac critica velitatione tetigi quam reliqua fragmenta ostendant per convivii opportunitatem de somno et vigilando

disputatum esse nescio an huc apte referri possit fragmentum quod a Nonio sine indice libri citatum Oehlerus putavit in saturis locum habuisse *Quid mihi somno, si dormitio tollitur?* Sic enim Nonius p. 100, 1 *Dormitio. Varro Sexagesi: ó stulta nostri pectoris dormitio vigilabis! Et alio loco idem: quid mihi s.* e. q. s. ubi nescio quam probabiliter Laurenbergius *quid mihi cum somno* coniecerit.

Saepius iam per hanc commentationem id genus errorum tetigi quod mera singularum litterarum permutatione continetur: attingam nunc dedita opera nonnulla ex eodem genere exempla. E satura Varronis cui inscribitur Hercules tuam fidem Nonius p. 533, 7 hanc sententiam perhibuit *procella frigida arte obruat celocem.* In qua *arte* haud dubie depravatum est, sed Popmae coniectura *ante* mihi non magis quam Oehleri *orta* veritatem assequi videtur, ne quid de eo dicam quod in antiqua editione habetur *arce.* Puto Varronem scripsisse *procella frigida alte obruat celocem.* Ceterum quod ex eadem satura Nonius p. 47, 28 tradidit fragmentum *non Tutilinam quam ego ipse invoco quod meae aures abs te obsidentur* cum proba sit pedestris oratio Oehlerus a Basiliensibus deceptus horridulis versuum simulacris descripsit, quemadmodum idem nescio quo auctore hoc Agathonis fragmentum apud Nonium p. 47, 1 *quid multa? factus sum vespertilio, neque in muribus plane neque in volucribus sum* in duos si dis placet senarios distribuit.

Saturae cui Varro hunc indicem fecit Est modus matulae περὶ μέθης fragmentum est apud Nonium p. 544, 27 *non vides ipsos deos, si quando volunt gustare vinum, deripere* (immo *derepere) ad hominum fana et tamen tum ipsi illi Libero simpuio vinitari?* Erit qui inde novum verbum *vinitari* addi lexicis iubeat. Prudentius is quidem hercle quam Oehlerus qui 'certissima coniectura' *minitari* reponens sententiam effecit quae cum ipsi 'lepidissima' dicatur, mihi nec sana esse nec e verbis colligi posse videatur. Sed et Lipsius a veritate aberravit cum *vina dari* Varroni restitui vellet. Et tamen pristina scriptura pridem in editione a. 1480 circumferebatur *ipsi illi Libero simpuio invitari* in quibus dativum sic interpretor ut sit in honorem Liberi. *Invitandi* autem verbum itidem Varro usurpavit in Sesquiulixe

apud Nonium p. 321, 29 *ipsum . . vino invitavi poclis* id quod e Plauto sumptum esse auctore Fleckeiseno dixi in coniectaneis p. 222. Eodemque loco Nonius alia testimonia collegit quibus *invitari* esse *repleri* confirmaret atque ibidem scribit *invitari est delectari* utiturque in eam rem cum aliis tum Turpilii versu e Thrasyleone (201 Ribb.)

Corónam mensam tálos vinum, haec huius modi,
Quibus rébus vita amántum invitari solet.

Eadem vi vocem usurpatam esse suspicor in Lucilii versu quem Nonius p. 165, 14 depravate tradidit *redisse ac repedasse ut Romam vitet gladiatoribus*, magis autem depravarunt qui *Romam bitat* vel *bitet*, *utrum evitet* correxerunt. Quin ne metrum quidem agnoverunt, cum Schmidtius quem Corpetus sequitur de 'iamb. tetr. acat.' quo metro nusquam usus est Lucilius[1]) cogitet (C. Lucil. sat. quae de libro IX supersunt p. 14), Gerlachius autem mirabiliter distractis vocibus *redisse Ac repedasse* numeros plane pessumdederit. Nempe obfuit illis quod *redisse* scriptum est pro *rediisse* quam formam poscente metro Dübne-

---

[1]) Nam ne alter quidem Lucilii versiculus quem ibidem citavit

Sané tum ego a Metéllo Romam répedabam múnere

recte se habet. Illa Francisci Dousae scriptura est, Nonius autem l. s. s. *Lucilius lib. XXVI . . . Idemque sanctum ego a Metello Romam repedabam munere.* Inde hanc versus formam conicio

Nám tum ego a Metéllo Romam répedabam múnere

vel *repedabam cum munere.* Similiter Lachmannus in Lucretio p. 67 haec corruptissima Nonii p. 13, 24 *sannunt solis mihi* ita ad integritatem revocavit *nam tu solus mihi* . Quod *idemque* apud Nonium traditur olim nonnulli et Basilienses *que* putarunt ad Lucilii verba pertinere: inde *queis actis ego* Gulielmus, *post quod factum* Iunius coniecit. Sed itidem Nonius p. 88, 34: *Lucilius Lib. XXVI: . . . Idemque: si tibi porro istaec res idcirco est cordi quod rere utilem.* Qui versus ne quis de octonario ïambico cogitet sic dimetiendus est

si tibi
Pórro istaec res ést idcirco córdi quod rere útilem.

rus restituit (*Revue de phil.* II p. 215). Totum autem versum Lucilius nisi me fallit opinio sic exaraverat

Rédiisse ac repedásse ut Romam invítet gladiatóribus,

in quibus *gladiatoribus* vix est quod moneam esse pro ludis gladiatoriis.

In eodem autem commatio quo Nonius verbi quod est *invitare* usum exemplis illustrat haec habetur Ciceronis sententia ex Hortensio *voluptates autem nulla ad res necessarias invitamenta afferunt senibus.* Sic ille saepius cum verba persequeretur immiscuit eiusdem originis nomina et contra. Itaque haec scribit p. 134, 25 *Latrocinari militare mercede. Plautus Cornicularia: latrocinatus annos X merec edem in Tiberio: qui apud regem in latrocinio fuisti, stipendium acceptitasti. Ennius: fortunasque quas coepere latrones Inter se memorare.* Idem p. 161, 20 *putidum non putrem sed odoris mali. M. Tullius de finibus bonorum et malorum lib. V: non inscite illud dictum videatur in suave, animum illi pecudi datum pro sale, ne putisceret*, de quo loco Madvicus ad Cic. de fin. V 13, 48 et in add. Verum hunc Nonii usum non satis reputarunt qui cum haec legerentur p. 137, 3 *Macore pro macie. Pacuvius Periboea: corpusque meum tali merore, errore, macore senet. Varro Sereno, peri arceresio: noster Atticus rivalis homo item lectus in curiam cum macescebat* Varronis quoque loco restituendum *macoris* vocabulum putarunt: unde alii quos Oehlerus affert *cum macore accedebat*, Oehlerus autem ipse *macore macescebat* reposuerunt. Immo Varro *commacescebat* scripserat et *macor* nomen unico Pacuvii testimonio constat quo Ritschelius utitur in prooemio indicis scholarum hib. Bonn. a. 1857–58 ubi hoc genus nominum accurate persecutus est.

Ex eadem satura, Serranum dico περὶ ἀρχαιρεσιῶν, Nonius p. 334, 17 hanc sententiam adscripsit *hunc vocasse et liquida vita in curiae vestrae fecem*: a quibus libri ita discrepant ut *vocasset* Bernensis, *vocas sed et* Leidensis exhibeat. Inde Popma quem Oehlerus sequitur *vocasse de*, Mercerus *vocasse ex*, recte id quidem nisi quod *vocasse ec liquida* scribendum fuit. Ita supra *has ec fenestra* reposui pro *et* in Lucilii versu eidem-

que Lucilio restituenda sunt *Mórdicus petere aúrum ec flammá expédiat e coenó cibum* cum Nonius p. 138, 22 *et flamma* exhibeat, et *Quantum haurire animus Musarum ec fontibu' gestit*, quem versum Nonius bis adscripsit p. 317, 8 *quanto h. a. m. e fontibus* (*et fontibus* Bernensis) *gestit* et p. 319, 15 *quantum h. animas m. et fontia* (*ea fontia* Genevensis et uterque Bernensis) *gestit*.

Nonius p. 337, 12 scribit haec *Lautum, abundans, competens. Varro Gerontodidascalo: vilico quod hanc satis si vix putant lautum. Lautum etiam inquinatum* e. q. s. Depravatam Varronis sententiam parum adiuvant Aldinae scriptura *video, quod habeat satis, si vix putant* vel Popmae correctio *ideo quod habeat satis, vix putant l.* Nec Gerlachius verum assecutus est coniectando *vilico quod habeant.* Quod vero Oehlerus 'suo nomine dedit' *villico quod habent satis, sibi vix putant lautum*, in eo unum probe excogitavit *sibi vix*, sed nec *habent* recte scripsit et sententiam interpungendo obscuravit. Nam sic scribi et coniungi oportuit *quod nunc satis sibi vix putant.* Etenim *satis* et *lautum* h. e. abundans inter se opponi manifestum est ac praeterea consueto Varroni more pristinae aetati praesentis temporis perversitas conferri videtur, ut Varronis sententiam hoc fere modo redintegrare liceat *olim* (*tunc*) *vilici, quod nunc satis sibi vix putant, lautum habebant.* Nam *vilici* restitui debere *putant* indicio est.

P. 538, 16 scribit Nonius *abolla, vestis militaris. Varro Cosmotorene*[1]) περὶ φθορᾶς κόσμου: *toga tracta est et abolla*

---

[1]) *Cosmotorene* libri, ut p. 537, 27 *Cosmorenae*, p. 157, 24 *Varro motorene*, cum ceteris locis *Cosmotoryne* sive *Cosmotorynae* exhibeatur: quas quidem scripturas ad hanc formam *Cosmotoroene* referre licebit post ea quae Ribbeckius in Fleckeiseni annalibus LXXV p. 316 sq. subtiliter disputavit: addi potest e Nonio quod p. 135, 13 legitur *Lusciosi qui ad lucernam non vident et moeopes vocantur a Graecis.* Ceterum indicem *Cosmotoryne* et consimilem *Ploutotoryne*, quo de Ritschelius in parergis I p. 178 et de logistoricis p. 14, Varro e graeca videatur comoedia prompsisse in qua θεατροτορύνην vocatam esse meretricem Athenaei testimonio constat IV p. 157 a: cf. Meinekii Hist. crit. com. graecae p. 329.

data est ad turbam, ubi sera militia in munera velli ut praestarem. In quibus *in* quod e proximae vocis littera initiali ortum puto recte olim deleverunt nec *velli* esse pro *belli* quemquam fugit. Quid vero praeterea temptaverint et quid ipse coniecerim in coniectaneis p. 81 explicavi: nunc seorsum ab illis quo sententiae satisfiat nil nisi *ubi* correctione indigere intelligo. Potuit Varro *ivi* scribere quod Oehlerus proposuit, potuit quod mihi magis placet *ad turbam abii.* Neutrum obstat iis quos mihi detexisse videbar numeris anapaesticis: sed obstat *sera militia.* Atqui verba non absunt a forma poëtica et numeri fere impinguntur in aures. Ac refingere metra liceret si Varro non *sera militia* sed *fera munera belli* dixisse crederetur:

> . *tóga tracta est et abólla data est:*
> *Ad túrbam abii, fera militia*
> *Munéra belli ut praestárem.*

Sed cum nemo dicere possit quo iure *sera militia* hunc locum obtineat intactam relinqui memoriam oportebit: nam nisi casu numerosius verba exierunt, potuit fieri ut Varro poëtae versus ita orationi suae accommodaret ut nec servarentur accurate numeri nec omnino perirent.

Quae de Mysteriorum fragmento quod apud Nonium p. 280, 29 in hunc modum traditur *in id virgo dos a femina ut auferatur, quae mihi posteaquam ad concordiam dicta est* in coniectaneis p. 217 proposui, ea sero vidi artificiosius esse quaesita. Nunc simplicius sententiae probabilitatem sectanti videor mihi verum e traditis litteris hoc modo elicere *illud urgeo, dos a femina ut auferatur. Quae mihi* e. q. s.

E Quinquatribus quod Nonius p. 190, 25; 314, 13; 337, 5 perscribit fragmentum *quid medico mihi est opus? nempe tuo absinthium* (*absentium* bis) *uti* (*ut*) *bibam gravem et castoreum* (*castorem*) *levemque* (*leveque*) *robur* in eo constituendo H. A. Kochium (exerc. p. 29) ita secutus eram in coniectaneis p. 27 ut et *ideo* reponerem pro *tuo* et fragmentum cuius ille partem esse metricam dixerat totum versibus describerem. Quod vituperavit nuper Buechelerus, instat esse orationem pedestrem: cui ut non possum contradicere ita quae de verbis mensura versuum

non dirimendis severius praecepit ea mihi persuadeo usu poëtarum non probari. Idem quod *ideo* esse improbabile affirmat, ego illius non ita tenax sum ut non amplecterer quod melius esset, sed praestare quod illi in mentem venit *nempe in perpetuom* aegre concesserim, nimium enim mihi videtur. Repono *Quid medico mihi est opus? nempe tuum absintium uti bibam gravem* e. q. s. Nam cynicum inter et medicum disputari e reliquiis eius saturae dispicitur.

Tetigi in coniectaneis p. 45 venustos Varronis versus e satura περὶ ἐγκωμίων quos Nonius perhibet p. 135, 22 *sulla in mento inpressa Amoris digitulo Vestigio demonstrat mollitudinem.* In quibus cum nihili esset *sulla* olim vulgabatur *sigilla* — *demonstrant.* Sed cum *sigilla* abesse a Varronis sensu viderentur, tum *demonstrat* singulari numero indicio esse putabam aliud quiddam in depravata *sulla* forma delitescere: videri autem de lacuna in mento dici significabam l. l., quam tamen vocem in corrupti vocabuli locum inferri ipsa mutationis improbabilitas dissuadebat. Inde vero profectus Röperus invenit ac mecum communicavit quod verissimum esse arbitror *laculla.* Quam quidem formam deminutivam apprime huic omni unde illa sumpta sunt carmini convenire ex iis apparet quae in coni. p. 43 scripsi. Ac licet exemplum eius vocabuli non extet tamen in promptu est certissima analogia vocum quales sunt *corolla salillum catella* aliarum quas Lachmannus recensuit in Lucretio p. 204.

Promethei liberati verba affert Nonius p. 120, 20 *In tenebris ac suili viunt* (voluit *vivunt*), *nisi non forum hara atque homines qui nunc plerique sues sunt existimandi.* Quae qui integra habet Oehlerus *quî nunc plerique* imperite 'quales vel cuius modi' explicat: non ita inepte ut Oehlerus scribit Gerlachius pro *qui* reponendum *ibi* coniecit in eam sententiam ut in foro degentes homines dicerentur. At non permutatione litterarum ut mihi quoque olim visum est sed omissione peccatum est a librariis. Nam nisi mea me fallit suspicio Varroniana Nonius ita exaraverat *nisi non forum hara atque homines qui nunc [sunt] plerique sues sunt existimandi.*

Finiam hanc partem disputationis meae in emaculando Aboriginum fragmento apud Nonium p. 171, 27 *sperem veteres*

spem dixerunt, unde et prospere dicitur, hoc est pro spe. Varro Aborigine περὶ ἀνθρώπων φύσεως: *ita sublimis speribus iactato nominatiuo volitantis altos nitens trudito.* In quo cum multi olim elaborassent diversissimasque coniecturas procreassent tum novissime Röperus accessit qui in philologi IX p. 229 sq. per accuratam superiorum censuram viam sibi ad suam opinationem paravit. Quare missis quae ille iure damnavit priorum conaminibus hoc agendum est ut ne Röpero quidem prospere corrigendi munus cessisse ostendamus. Sic igitur ille

> . . . . . *ita sublimis spéribus*
> *Iactáte volitans álta nitens trúdito.*

In quibus primum haec quae venuste et absque offensione dicuntur *volitantis altos* parum caute cum vulgarioribus commutavit. Deinde quominus *iactato* corrigeretur in *iactate* iuxta positum *trudito* prohibere debuit: qua ratione corruit etiam illud quod *nominatiuo* grammaticam esse explicationem ad *iactate* adscriptam sibi persuasit. Neque vero proficiscendum erat omnino ex hac plurimorum quidem librorum scriptura sed ex unius Leidensis testimonio *nominatuo uolitantis* unde illud ortum demum esse apparet: ex *uolitantis* autem illi voci adhaesit *uo* syllaba, qua dempta reliqua ipsa sententiae necessitas ex his *nomen ac* esse leviter inflexa demonstrat. Nimirum sic Varro scripserat haud dubie

> *ita sublimis spéribus*
> *Iactáto nomen ác volitantis áltos nitens trúdito.*